Quelle: https://manuscripta.at/?ID=874
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

le enim equalem dicimus. & simulque simile simili simile. Sed non
capiunt omnia relativa magis vel minus. Nullum enim potest dicere ma-
gis vel minus duplum esse. Nam sive denarius ad quinarium comparetur sive
quaternarius ad binarium utique duplus est atque medietas. Qualitas quoque
recipit magis vel minus. Dicimus enim magis album vel minus album. Quare
quoniam neque omni relationi neque soli uni suscipere magis vel minus. & quo-
niam preter relationem quoque qualitas suscipit magis vel minus relationum proprium non est
suscipere magis & minus.

Omnia autem relativa adconvertentia dicuntur. ut servus domini
servus dicitur. et domini servi dominus. et duplum dimidium duplum vel dimidium
dupli dimidium. et maius minore maius vel minus maiore minus. Similiter vel alius. Sed casu aliquotiens differunt secundum locutionem. ut scientia scibilis rei scientia & scibile scientia scibile dicitur.

Clara hec est. opponentis vel innoluta sententia. Dicit enim omnia
relativa ad invicem dici. Quod ipse propriis patefecit exemplis.
Omne enim ad aliquid ita ad aliud predicatur. ut illud ad quod predicatur
videatur posse invertere. et hoc est quod ait. Omnia relativa ad convertentia dicuntur. Convertere autem est ut si prima res dicitur ad secundam. Secunda
rursus dicatur ad primam. Ponatur enim primum pater secundi filius. & dicatur hoc
modo. Pater filii pater est. Id rursus invertere potest. ut primum ponamus filium.
vel alius sit predicatio. filius patris filius. Ergo pater ad tale dicitur. i. filium qui
invertitur. et filius quoque dicitur ad patrem ad tale re dicitur. que ipsa quoque invertitur.
ut de filio predicetur omniaque relativa hoc modo sunt. Omne enim relativum ad
tale aliquid predicatur quod ipsum invertere in predicatione possit. Sed nec omnia
secundum eandem vocis plationem. Alia enim sunt que eisdem casibus invertuntur ut dictum est. Pater enim filii pater est & filius patris filius. Alia autem
que non eisdem ut scientia scibilis rei scientia est. Hic genitivus est medius. Scibile autem scientia scibile est. Hic septimus predicationem casum
tenet. Alia autem nullo ut supdictum est casu iuncta sunt. Si sibimet
invertuntur ut mons magnus ad parvum dicitur. et parvum ad magnum.
Ergo omnia relativa adinvertentia dicuntur. quinus non eisdem casibus con-
vertuntur. quod ipse ait dicens. Sed casu aliquotiens differunt se-
cundum locutionem. Quod autem addidit diligenter adiectum est.